

tus) sibi, ut in suis ipse Carminibus refert, illuc properandi per fluentia menti, & Rounam, perque Osopum, & alpem Julianam..... iter fuisse describit. Vetus, & optimæ notæ Codicem Historiæ Langobardorum adservant Fratres Prædicatores in Civitate Forijulii; ubi legimus fluenta Tiliamenti, Reunam, & Osopum. Verissimæ lectionis fidem confirmant Codices alii in Mediolanensi Pauli Diaconi editione citati.

Eadem, aliaque plura in allegata Langobardorum Historia passim occurunt loca. Libro II. Capite IX. habetur *Foro juliana Civitas*, cui totique Regioni Ducem præfecit Gisulfum nepotem Alboinus Rex. Eadem Capite XIV. vocatur *Forum-julum*, Provinciæ caput post Aquilejam excisam, ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat. Libro III. Capite XXVI. memorabile *Marianum* est ob Synodum, quam eo in loco Schismatici Aquilejensis Provinciæ Episcopi in causa trium Capitulorum celebraverunt. Libro IV. Capite XXXVIII. irruptio describitur Avarorum Cacani, seu Regis, (nam Reges Avarorum appellatos fuisse Cacanos, passim habentur in Historiæ testimonia:) atque loca numerantur, intra quæ se Romilda Gisulfi Ducas ab Avaris interfecit uxor, ac Langobardorum proceres receperunt; scilicet *Foro julianum Castrum*, & *Castrum Cormones*, *Nomaso*, *Osopo*, *Artenia*, *Reunia*, *Glemona*, & *Ibiligino*. Hunc postremum locum *Belinam* interpretatur Jo. Franciscus Palladius: notat vero Claverius in Italia antiqua, legi in nonnullis codicibus *Biliginem*, ac fortasse vicum esse secus Turrum amnum, qui vulgo nunc vocatur *Biliris*. Libro V. Capite XIX. pugna refertur Cacani Avarorum cum Lupo Duce Forojuliensi, in loco commissa, qui *Fluvius* dicitur: ipsiusque Lupi filius nomine Warnefridus extinctus perhibetur Capite XXII. apud *Nemas castrum*, quod non longe a *Foro julii* distat. Idem est *Nemas*, ac *Nomaso*, & *Nemaso*, ut plerique Codices habent: de loco vero ea vox significato non una est Geographorum, ac popularium opinio. Capite sequente XXIII. legimus, irruentes *Sclavos* adversus *Vectarim* Ducem *Foro julii* castra posuisse in loco, qui *Broxas* dicitur non longe a *Foro julii*: eisque Vectarim venisse obviam ad pontem *Natisonis*, qui ibidem est, ubi *Sclavi* residencebant. Alachis Tridentini Ducas defecit contra Cunibertum Regem Capite XXXIX. refertur; diciturque Forojulianorum exercitum ille collegisse ad pontem *Liquentiæ* fluminis, quod a *Foro julii* quadraginta octo millibus distat..... in silva, quæ *Capulanus* appellatur. Libro VI. Capite III. item *Reunia* occurrit, natale solum *Ansfriti*, qui Ducatum invasit Rodoaldi. Capite XLV. astate Pemmonis Ducas, immensa *Sclavorum* multitudo in locum, qui *Lauriana* dicitur, adventavit, quam ipse Pemmo fudit. Capite demum LI. distinguitur *Castrum Juliene* in Carnis, ubi sedem tenebat Fidentius Episcopus, a *Foro juliano Castro*: memoraturque *Castellum Pontium* supra mare situm. Codex citatus habet *Castellum Putum*. An idem cum *Pucioli* apud *Anonymous Ravennatem*? Ait enim Libro IV. num. 31. *Tergeston*, *Foro julium*, *Puciolis*, *Aquileja*, *Concordia*, *Altinum*. Hæc sunt loca, quæ in Forojuliensi Provincia vetusti notarunt scriptores. Alia plura, quorum aliqua æque fortasse vetusta sunt, alia recentioris originis, numerat Catalogus: eademque occurunt in Diplomatibus, aliisque monumentis, in Commentario nostro vulgaris.

Num. VIII. & IX. duo proferuntur Chronica, quorum alterum prioris est epitome. Fusore calamo primum conscriptum est, resque complecti-

tur, quæ in tota Forijulii Provincia, ac etiam foris contigerunt: narrare videtur alterum, quæ ad Civitatem Forijulii proximus attinet; unde & *Chronicon Civitatense* inscriptum legimus. Illud exscriptissimus ex Codice propria Antonii Belloni Notarii Utinensis manu exarato: istud ex Autographo, quod in calce vetusti Necrologii in Archivo Canonicorum Civitatensium habetur. Plura differuimus de Chronicæ Autore Capite LXXIV. num. 2. Petrum Passerinum rejecimus, quem obtrusit Bellonus. Ad annum M. CC. XCIII. & insequentem Julianus Canonicus Civitatensis, & Johannes frater ejus disertissime se produnt Opusculi Autores. Loco priore hæc habentur: *Eodem anno (1293.) in die S. Thomæ Apostoli post Missam in Capitulo Civitatensis Ecclesie data fuit mibi Juliano præbenda ipsius D. Jacobi* (ad infulas Concordienses evesti)... Et *Mansionaria mea prædicto die data fuit Johanni fratri meo*. Loco altero hæc verba sequuntur: Item ego Johannes celebravi primo Missam nono die Mayo, currente Dominica per C. anno Domini M. CC. XCIV. Hinc dubium nullum, Joannem in Chronicæ Juliani fratribus plura adnotasse.

Annorum ordo præposterus aliquoties occurrit cum in fusiore Chronicæ, tum in ejus Epitome. Exempli causa, res Forojulienses ordinata riteque digesta annorum serie describuntur usque ad annum 1288. Tum ad superiores annos fit regressus, iterumque annus 1277. notatur: pluraque narrantur, quæ prædicto, & sequentibus annis acciderunt, donec in seriem annorum interceptam reddit scriptor: atque sic deinceps quater, vel quinquies. Hujusmodi additamenta cum præpostero annorum ordine non raro occurunt in Chronicis. Quod modo præsto est, profero Chronicæ Leobienæ a Hieronymo Pezio in *Rebus Austriacis* vulgatum. An vero accessiones prædictæ parentem habeant Julianum præcipuum Chronicæ Autorem, an Joannem fratrem, aliumque res adnotantem quæ fugerant illos, divinare non licet.

Chronicon utrumque vulgavit Muratorius anno 1738. Tomo XXIV. ac postremo scriptorum Italæ. Primi exemplum, quod fusius est, Josephus Binias in *Rerum Forojuliensium eruditione* verissimus communicavit: alterumque, quod prioris Epitomen dicimus, tradidit Laurentius a Turre Capituli Civitatensis Decanus, ex *Necrologio superius citato descriptum*. Binianum exemplum multis in locis exesum, scribit Muratorius: monetque, ex utriusque collatione non sine multo labore *Opusculum*, quod in lucem edit, se confarcinasse. Hinc vero mirum non fuerit, Opusculum prodire mendis corruptum, quas eluere nostrum erit. Desiderantur quamplura, quæ in *Apographis exesis*, *corrosis*, & *lacunis fædatis* legi nullo modo potuerunt. Anni vitiati sunt, vitiati que dies mensium: adeoque sæpe nutat *Chronographia*. Locorum, Virorumque corrupta sunt pluraque nomina, & cognomina; unde ubi sequentia occurunt, *Cenetensis* Episcopus, *Dyochalmus*, *de Azone*, *Zuculata*, *Padreni*, *de Rubiseo*, *True*, *Dimino*, *Teuzone*, *Bajani*, *Strumberch*, *Tolinum*, reponi debent *Petenensis*, *Dyetalmus*, *de Orzono*, *Zucula*, *Paderni*, *de Rubignaco*, *Trus*, *Duyno*, *Johanne*, *Boyani*, *Stumberch*, *Tojanum*. Alia id genus menda prætero: liceatque demum adnotare, passim, sed perperam scribi *Cividatum*, *Cividatense Capitulum*, *Cividatenses homines*; cum *Civitas* ævo illo constantissime diceretur, ac inde appellatio fuerit *Civitatensis Capituli*, *Civitatium* hominum &c. Exempla emendatoria nobis præsto fuerunt, quæ diligentissimus descriptissimus; erroresque nonnullos in